

noribus prouehis ac ornas. Simili benignitate & prudentia excitauit Mecœnas suæ ætatis ingenia. Quem principem hodie, si quisquàm alius, singulari tuo erga liberaliter eruditos, amore & beneficentiæ laude, exprimis. Iam est abundantis cuiusdam hoc quoque fauoris tui in uirtutum nutrices Literas argumentum, quod optimorum quorumcunque librorum confertissimam instruxeris Bibliothecam, in qua Astronomica uisuntur organa, cum alia quidem permulta, tum unum hoc quoque diuina quadam solertia ære in hunc fabrefactum usum, ut singulorum Planetarum, & Stellati præterea etiam orbis, è reclusa quapiam motrice uis, progressus regressusque admiraculum usque oculis exponat. Quæ tam preciosa opulentaque Musarum officina, quantum ueræ laudis, tibi in eruditorum choro uel iam parit, uel, cum olim quieuerit inuidia, paritura est, dicere alterius loci est. Ad coeptum illum hic de Philosophia priscaque eruditione reuertar sermonem, in quem forte fortuna incidi, dum Imperio & uoluntati tuæ obsecuturus, in animo haberem studiosis commodare additione libri, in cuius fronte gratiosum Celsitudinis tuæ nomen præluce-
ret. Neque spero mentionem rei huius alienam fore à tua, Sapientissime Princeps, sententia. Indigne enim te ferre scimus, esse in Literatorum populo, ubique tam paucos, qui aut multum à uulgi erroribus & affectibus distent, aut artes ingenuas alio quam lucri respectu & spe sectandas esse ducant. Talibus sciolis, aut ranis potius, nihil est quod literas inuidia magis grauat, qui si mentem Philosophiæ ductu, non linguam tantum excolerent, liberalia studia, aliquanto carius quam cerdo pelles suas, & fabrilis faber æstimarent. Dolendum autem est à tam putidis ingenijs tantum sordium, in limpium Musarum fontem inferri. Et tanto id quidem dolendum uehementius, quanto cumulatior debetur tibi gratia, quod solícite & grauiter mandasse diceris, ut qui Moguntia sunt in Scholæ tuæ administratione, disciplinas ad publicam salutem pertinentes fideliter & dextre tradant. Neque eorum quicunque intermittant, quod nata literis ingenia, ad
religionem